

## XXXVIII M. A. SABELLICI

ad gymnasium spectat, Jovio subscribo: secus vero, quod ad munus conscribendae secundum Justinianum historiae. Res ipsa Jovium arguit mendacii. Bernardus Justinianus historiam contexuit suam *de origine urbis Venetiarum*, quae ab ejus tamen obitu solum prodiit, curante Benedicto Brognolo, qui tum Venetiis humanitatem profitebatur, ut omnibus persuadet Benedicti ejusdem praefatio: prodiit autem anno M. CCCC. LXXXII. per Bernardinum Benalium in folio, cum jam antea Justinianus dececessisset VI. idus martias anni M. CCCC. LXXXVIII. Qui igitur potuit fieri, ut Sabellicus anno M. CCCC. LXXXIII. ea conditione vocaretur, ut historiam eamdem continentis filo prosequetur, quae publici juris facta non est, nisi octavo postquam vocatus erat anno? Secundo Coccius historiam edidit suam anno M. CCCC. LXXXVII. quinto scilicet antequam Justinianeae historia prodiret; non prius enim haec, ut dixi, prodiit, quam anno M. CCCC. LXXXII. Tertio nusquam Sabellicus in Decadibus Justinianeam historiam meminit, quam ipsi caeteroquin innotuisse, ex iis perspicuum est, quae Dialogo *de linguae Latinae reparatione* perleguntur. *Eius*, inquit (Bernardi scilicet) libri *de origine urbis* hujus nondum in lucem venere: sed ut in summa sint expectatione ea quae novimus faciunt. Quarto animadvertisatur, Justinianum auspicari suum opus ab urbis origine, illudque libris quindecim perducere usque ad Angelum Participatiū, qui Dux creatus anno DCCC. VIII. primus omnium insignia principatus & sedem Rivoaltum transtulit: at Cocciana historia, non ab anno DCCC. VIII. ut Jovius innuit, initium capit, qui annus Justinianeae postremus est, sed ab ipsa urbe condita; ordinataque rerum ac temporum serie deducitur ad annum M. CCCC. LXXXVI. qui Augustini Barbadici Ducus primus fuit. Neque inferior, doctos homines complures, Jovium secutos, censuisse, jussum fuisse a Senatu Sabellicum historiam Venetam conscribere: in quibus praeter caeteros est memoratus Leander Albertus, Joannes Bonifacius in dialogo qui *Frachetta* inscribitur, Joannes Antonius Vulpius in Andreae Naugerii vita (a), quam eleganter eruditique concinnatam Naugerii ejusdem operibus praemisit, quorum editio luculenta prodiit anno nuper elapso M. DCC. XVII. Neque aliam fuisse olim meam ipsius sententiam declarat rudis nescio quae dissertationcula, jambdum facta publici juris (b), quam modo plane abdico; nec fateri me poenitet, ibi me saepius non leviter alucinatum. Si Sabellico Senator id munus injunxit scribendarum Venetarum rerum, id ipsum aliqua epistolarum suarum memorare haud quaquam omisisset, ubi non raro historiae hujus meminit, sed apertius ea epistola, qua historiam eamdem nuncupat Marco Barbadico Principi. Verum adeo id ipse non asserit, ut ibi oppositum narreret. Eam ait ubique terrarum pervagatam esse justitiae sanctitatisque hujus Reipublicae famam, ut nemini gratissimum non esset futurum, urbis originem & incrementa cognoscere: multos ante id ipsum aggressos esse, sed illorum scripta tam squalida foedaque barbarie opera esse, ut avertant citius legentem quam allicant: adjecisse quidem se animum ad scribendum, sed imbecillitatis suae conscientia deterritum amovisse ab opere manum: at sperasse interea, existitum aliquem, qui Venetum vellet imperium eo nomine demereri. Longa fuit quidem expectatio, sed non magis longa, quam irrita. Quod si, quum ita eveniturum

(a) p. 12.

(b) Tomo I.  
Diarii  
Italici,  
quod in-  
scribitur:  
La Galle-  
ria di Mi-  
nerva: p.  
165.